

Alte Drucke

Concilia quatuor generalia

TOMVS PRI=||MVS QVATV=||OR CONCILIO||rum generalium. || Quadraginta
septem Conciliorum prouincialiu[m] au=||thenticorum. || Decretorum
sexaginta nouem Pontificum. Ab aposto=||lis & eoru[m]de[m] ...

Isidorus <Hispalensis>

Parisiis, 1524

INCIPIT PREFATIO SANCTI MARTINI BRACCARENSIS EPISCOPI IN LIBRO
CAPITVLORVM EX GRECORVM SYNODIS COLLECTORVM.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150505

his gestis subscripsi, Lucentius columbrigenis ecclesie episcopus his gestis subscripsi, Adoriens ge-
tane ecclesie episcopus his gestis subscripsi, Sardinarius lamucensis ecclesie episcopus his gestis sub-
scripsi, Viator magnatensis ecclesie episcopus his gestis subscripsi, Alitigitis lucensis metropolitanus
ecclesie episcopus his gestis subscripsi, Andreas herensis ecclesie episcopus his gestis subscripsi, Anila-
tudentis ecclesie episcopus his gestis subscripsi, Pulensis asturicensis ecclesie episcopus his gestis subscri-
psi, Mailoc brittanorum ecclesie episcopus his gestis subscripsi. Victimer auriensis ecclesie episcopus
subscripsi.

Explicit concilium braccarense secundum.

INCIPIT PREFATIO SAN- CTI MARTINI BRACCARENSIS EPISCOPI IN LIBRO CAPITVLO- RVM EX GRECORVM SYNODIS COLLECTORVM.



OMINO MEO BEATISSIMO ATQVE APOSTOLICE
sedis honore suscipiendo in christo fratri nigesio episcopo, vel vniuerso conci-
lio lucensis ecclesie episcopo Martinus, Canones qui in partibus orientis ab an-
tiquis patribus constituti sunt, greco prius sermone conscripti sunt, postea autē
succedenti tempore in latinam linguā translati sunt, Et quia difficile est, vt sim-
plicius aliquid ex alia lingua transferatur in aliam, simulq; & illud accidit, vt
in tantis temporibus scriptores aut non intelligentes, aut dormitantes multa pre-
termittant, & propterea in ipsis canonibus aliqua simpliciorib⁹ videantur obscura. Ideo visum est vt
cum omni diligentia, & que per translatores obscuri⁹ dicta sunt, & ea que per scriptores sunt immu-
tata simplicius & emendatius restaurarem id primum obseruans, vt illa que ad episcopos, vel vniuer-
sum clerum pertinent vna in parte conscripta sint, similiter & que ad laicos pertinet simul sint aduna-
ta, vt de quo capitulo scire aliquis voluerit, possit celerius inuenire.

Capitulum primum.

- | | | |
|-------|---|---|
| i | De electione episcopi. | bi naturalia abscindunt. |
| ii | De ordinatione episcopi. | xxii De neophitis. |
| iii | De euacuanda ordinatione que absen-
te metropolitano fuerit facta. | xxiii De penitente nō admittēda ad clerū. |
| iiii | De primatu metropolitani. | xxiiii De his qui indiscussi, aut p̄byteri, aut
diaconi ordinati sunt. |
| v | De eo qui per ambitionem de inferiori
ciuitate ad maiorem transire voluerit. | xxv De p̄bris vel diaconibus qui post ordi-
nationem denotantur. |
| vi | De nō mutandis parochiis. | xxvi De his qui viduas, aut dimissas ducūt. |
| vii | De presumptione aliene diocesis. | xxvii De fornicatoribus clericis. |
| viii | De non constituendo ep̄o successore. | xxviii De his quorum vxores mechantur. |
| ix | De irruptione vacantis ecclesie. | xxix De viduis clericorum. |
| x | De episcopo per necessitatem vacante. | xxx De filia episcopi vel p̄bri que fuerit de-
uota, & peccauerit. |
| xi | De contemptore episcopo. | xxxi De deuota vel peccante que se marita-
uerit. |
| xii | De seditioso episcopo. | xxxii De subintroductis adoptiuis mulierib⁹
bus. |
| xiii | De episcopi presumptione in rebus ec-
clesie. | xxxiii De non recipiendis clericis, & de infir-
manda ordinatione eius qui sine ep̄i sui
licentia ab alio episcopo ordinatur. |
| xv | De rebus ecclesiasticis gubernandis. | xxxiiii De clericis desertoribus. |
| xvi | De rebus ecclesie dispensandis. | xxxv De importunis clericis. |
| xvii | De his qui de ministerio ecclesie ali-
quid vendunt. | xxxvi De purganda opinione heresis. |
| xviii | De synodo faciēda. | xxxvii De clericis excommunicatis. |
| xix | De episcopo qui noluerit venire ad sy-
nodum. | xxxviii De p̄bris vt ad secundas non vadant
nuptias. |
| xx | De legitima etate ordinandi p̄bros. | |
| xxi | De eunuchis qui ab aliis fiunt, vel qui si | |

O.ii.

- xxxix ¶ De his qui ad diaconum eliguntur.
 xl ¶ De eo quod non licet diaconum nisi iustum sedere.
 xli ¶ De eo quod non licet quemlibet sacra mysteria tangere.
 xlii ¶ Ut mulieres in sacrariū non intrent.
 xliii ¶ Ne lector alterius viduam duxerit.
 xliiii ¶ Si subdiaconus secundam duxerit vxorem.
 xlv ¶ Ut non ascendat in pulpītum nisi lector.
 xlvi ¶ De conditionalibus nō ordinandis, nisi consensu patroni.
 xlvii ¶ De non suscipiendis seruis in clero alienis.
 xlviii ¶ De non celebrandis natalitiis martyrum in quadragesima.
 xlix ¶ Non suscipi debere ante duas ebdomadas, sed ante tres infantes ad baptismum.
 l ¶ De non soluendo ieiunio in quinta feria pasche.
 li ¶ De chrismate conficiendo.
 lii ¶ Non liceat presbytero coram episcopo chrismare.
 liii ¶ Non licet presbytero ante episcopum in baptisterium introire.
 liiii ¶ De pregnatibus baptizandis.
 lv ¶ Que in altari offerri oportet.
 lvi ¶ De presbyteris forasticis.
 lvii ¶ De non ieiunando in die dominico neq; genua flectendo.
 lviii ¶ De gustandis carnibus, & non execrandis.
 lix ¶ De eo quod non liceat sacerdotibus vel clericis spectaculis interesse.
 lx ¶ De eo quod non liceat sacerdotibus vel clericis incantatorias & contrarias ligaturas facere.
 lxi ¶ De eo quod non liceat conuiuia facere de confertis.
 lxii ¶ De usuris vel negotiorum lucris.
 lxiii ¶ De clericis qui ad matutinum vel vesperinum non conueniunt.
 lxiiii ¶ De eo quod non liceat clericis die dominico ab ecclesia absentari.
 lxv ¶ De eo quod non liceat clericis ante horam tertiam prandere.
 lxvi ¶ De attondenda coma clericorum & habitu ornato.
 lxvii ¶ De eo quod non liceat poeticos psalmos in ecclesia dicere, & libros apocryfos legere.
 lxviii ¶ De eo quod non liceat super monumenta mortuorum missas tenere.
 ¶ Capitula canonum ad laicos pertinentium sequuntur.
 lxix ¶ De eo quod non liceat christianis prædia ad monumenta portare.
 lxx ¶ De eo quod non liceat clericis vel laicis catholicis cathedras ab hereticis eulogias accipere, aut cum ipsis & schismaticis orare.
 lxxi ¶ De eo quod non liceat christianis obseruationes diuersas attendere.
 lxxii ¶ De eo quod non liceat christianis tenere traditiones gentilium.
 lxxiii ¶ Ut non liceat obseruare lunas, aut stellarum cursus.
 lxxiiii ¶ De eo quod non liceat obseruare Kalendaras.
 lxxv ¶ De eo quod non liceat medicinales herbas cum aliqua obseruatione colligere.
 lxxvi ¶ De eo quod non liceat feminas christianas in lanificiis aliquid obseruare.
 lxxvii ¶ De adulteriis.
 lxxviii ¶ De mulieribus fornicariis, & abortiuum facientibus.
 lxxix ¶ De homicidio voluntario, vel non voluntario.
 lxxx ¶ De muliere que duos fratres coniugio, & viro qui duas sorores habuit.
 lxxxi ¶ De his qui nuptias iterauerint.
 lxxxii ¶ De his qui se cum animalibus commiscuerint.
 lxxxiii ¶ De his qui usq; ad finem vite in peccatis perdurant, & in exitu communionem petunt.
 lxxxiiii ¶ De his qui intrantes ecclesiam propter luxuriam sacramento se abstinēt.
 lxxxv ¶ De excommunicatis.

¶ Expliciunt capitula.

Capitulum primum.

A Non licet populo electionem facere eorum qui ad sacerdotium prouocantur, sed iudicium episcoporum est, ut ipsi eum qui ordinandus est probent, si in sermone & fide, & in vita edoctus sit.

Capitulum secundum.

¶ Episcoporum

Episcopum oportet maxime quidem ab omni concilio constitui, sed si hoc aut pro necessitate, aut pro longinquitate itineris difficile fuerit, ex omnibus tres colligantur, & omnium presentium vel absentium subscriptiones teneantur, & sic postea ordinatio fiat. Huius autem rei potestas in omni provincia ad metropolitanum pertinet episcopum.

Capitulum tertium.

Non debet ordinari episcopus absque consilio & presentia metropolitani episcopi. Adesse autem omnes oportet qui sunt in provincia sacerdotes quos per suam debet epistolam conuocare. Et quidem si omnes occurrerint, bene. Sin autem hoc difficile fuerit plures oportet concurrere. Qui autem non conuenerint presentiam sui per epistolas faciant, & sic omnium facto consensu ordinationem episcopi fieri oportet. Si autem aliter preter quod terminatum est a nobis fuerit factum, talem ordinationem nichil preualere decernimus. Sin autem secundum canones ordinatio episcopi fuerit facta, & si quis cum malitia in aliquo contradixerit, plurimorum sensus obtineat.

Capitulum quartum.

Per singulas provincias oportet episcopos cognoscere metropolitanum episcopum, & ipsum primatus curam suscipere, nichil autem agere reliquos episcopos preter eum, secundum quod antiquitus a patribus nostris constitutum continetur in canone, propter quod & metropolitanus episcopus nichil presumptiue assumat absque consilio ceterorum.

Capitulum quintum.

Si quis princeps alicuius fuerit ambitionis inuentus, siue episcopus, siue presbyter, vel diaconus de inferiori ciuitate non transeat ad maiorem, sed si quis contra hec magni concilii constituta importunis extiterit omnimodo euacuetur huiusmodi factum, et siue iterum restauretur ecclesie cui episcopus, aut presbyter, aut diaconus prius fuerat constitutus.

Capitulum sextum.

Episcopum a propria parochia non liceat transire in aliam, neque sua sponte introire, neque inuitatum neque ab episcopo coactum, sed permaneat in loco in quo a deo est ordinatus, & in ea quam sortitus est ecclesia secundum antiquum canonum constitutum.

Capitulum septimum.

Si quis episcopus non per scripturam metropolitani episcopi, aut qui cum eo sunt, rogatus de alia provincia in aliam venerit, sed presumptiue irruens ad ordinationem & constitutionem clericorum qui ad illum non pertinent importunus existat, vacua sunt & inania omnia que ab eo fuerint constituta. Ipse autem digna increpatione excommunicetur, & alienetur a sancto concilio.

Capitulum octauum.

Episcopo non liceat ante finem vite alium in loco suo constituere successorem. Si quis autem hoc usurpare tentauerit, talis constitutio irrita erit. Non aliter ergo fieri oportet nisi cum consilio & iudicio episcoporum qui post exitum precessoris potestatem habent dignum eligere.

Capitulum nonum.

Si quis episcopus vacans in ecclesiam non habentem episcopum subrepens populo sine concilio integri ordinis irruerit, etiam si populus quem seduxit desideret illum, alienum ab ecclesia esse oportet. Integrum autem & perfectum concilium dicimus illud in quo metropolitanus episcopus fuerit.

Capitulum decimum.

Si quis ordinatus per contentionem populi, aut pro aliqua ratione & non pro sua culpa in parochia que ei fuerit data non ierit, hunc oportet ordinem sacerdotii tantummodo contingere, ita ut de rebus ecclesie in qua conuenit nichil sibi presumat, sustineat autem quod de eo sanctum concilium iudicare voluerit.

Capitulum vndecimum.

Si quis episcopus ordinatus noluerit agere sacerdotium, neque consenserit in sibi commissam ecclesiam ambulare, istum talem excommunicari oportet, quod si coactus consenserit, sanctum concilium quod placet de eodem terminet.

Capitulum duodecimum.

Si quis episcopus ordinatus fuerit, & non vult ipsam parochiam suscipere in qua nominatus est, sed alibi vult ordinari, & vim facit, ac seditiones concitat contra eos qui illum ordinauerunt, hunc ab honore oportet remoueri, si autem in pristino honore presbyterii vult stare, non vetetur ut gradum quem habuit retineat. Quod si reluctatus fuerit, etiam ab honore presbyterii deponatur.

Capitulum decimumtertium.

- A ¶ Si quis episcopus in aliquibus causationibus iudicatur, & viderit ipsos episcopos qui in prouincia sunt inter se iudicio discrepare, vt alii videantur eū qui iudicatur iustificare, alii cōdemnare, pro definitione huius diffensionis hoc placuit sancto cōcilio, vt de prouincia vicina alter metropolitanus conuocetur episcopus, vt per eum cōfirmetur quod secundū rectum placuerit canonem.

Capitulum decimumquartum.

- B ¶ Si quis episcopus nulla ecclesiastice rationis necessitate compellus in suo clero, aut vbi forte non est pbr̄ de rebus ecclesiasticis aliquid presumpserit videri, res ipsas ecclesie proprie restaurare cogatur, & in iudicio episcoporum deiciatur auditus, & tanquam furti aut latrocinii reus a suo priuetur honore.

Capitulum decimumquintum.

- C ¶ Que sunt ecclesie conseruari cōmuni diligentia, & bona conscientia, & fide dei qui omnia videt, & iudicat gubernari oportet cum iudicio & potestate episcopi, cui & omnis populus & congregatio cōmissa est animarum. Manifesta autem debent esse que ad ecclesiam pertinent in conscientia eorū qui circa episcopos sunt presbyter & diaconus, vt hi omnes sciant que sunt ecclesie propria, vt si episcopi cōtigerit transitus, eos nichil latere possit ex his que ad ecclesiam pertinent, vt nullomodo possint minui & perire, neq; res proprie episcopi debent importunitatem pro rebus ecclesie pati, Dignum vero & iustū est apud deum & homines, vt ea que ipsi propria sunt cui voluerit derelinquat, & que ecclesie sunt eidē conseruentur ecclesie, vt nec ecclesia patiatur damnum, neq; episcopus pro rebus ecclesie in suis proscribatur, ne post eius obitum in causas incidant, qui ad eum pertinent, nec ipse in maledictum incidere videatur.

Capitulum decimumsextum.

- D ¶ Episcopus habeat potestatem in rebus ecclesie, vt dispenset necessitatem habentibus cum omni reuerentia & timore dei, Participare & eum oportet que necessaria sunt, si tamen ipse, aut qui cum eo sunt fratres indiguerint aliquo, vt necessitatem nullomodo patiantur secundum apostolum dicentem, victu & tegumento his contenti sumus, Si autem res ecclesiasticas episcopus in suas voluntates usurpare voluerit, & loca ecclesie & fructus agrorum non cum pbr̄orum vel diaconorum consilio cōraminauerit, aut fratribus vel filiis vel quibuscūq; propinquis dederit potestatem, vt per eos latenter ledantur res ecclesie, hunc oportet obnoxium esse concilio, Sin aliter episcopus vel qui cum eo sunt pbr̄i aut diaconi acculentur, quia que ex redditu vel ex quolibet actu ecclesie veniūt in sinus suos colligūt, & pauperes fraudant, & fame conficiunt, hoc enim corripi oportet secundum quod ordinatum fuerit a sancto concilio.

Capitulum decimumseptimum.

- E ¶ Si quis pbr̄ aut diaconus inuentus fuerit aliquid de ministeriis ecclesie venūdedisse, quia sacrilegium commisit, placuit eum in ordinatione ecclesiastica non haberi, In iudicio tamen episcopi dimittendus est, siue indignus in suo recipi debeat gradu, quia multotiens hoc ipsum quod de sacrosancto altario contaminatum est in episcopi potestate dimissum est.

Capitulum decimumoctauum.

- F ¶ Propter ecclesiasticas curas & altercationū solutiones bene placuit per singulas prouincias bis in anno concilium fieri conuocante metropolitano episcopo omnes prouintiales episcopos, ita vt ad concilium pcedant omnes presbyteri & diacones, vt eorū qui se lesos existimant in concilio cause examine ad iustū iudicium perducantur. Et si qui manifeste episcopi, vel presbyteri, aut diaconi inuenti fuerint in offensa secundum rationē excommunicentur, quādiu communi consensu de his placuerit dare sententiam. Nulli aut episcopo liceat propria apud semetipsum concilia facere preter eos quib; metropoles sunt credite.

Capitulum decimūnonum.

- G ¶ Ad conciliū conuocatus episcopus non debet continere sed ire, & ea que ad vtilitatē ecclesie, vel ceterorū pertinent docere si nouit, aut doceri si nescit, nam si contempserit ire extra egritudinē reus erit fraterni concilii.

Capitulum vigesimū.

- H ¶ Si quis triginta etatis sue nō impleuerit annos nullomodo pbr̄ ordinetur, etiam si valde sit dignus quia & ipse dominus trigesimo anno baptizatus est, & sic cepit docere, Oportet ergo eum qui ordinandus est vsq; ad hanc etatem legitimam conseruari.

Capitulum vigesimūprimum.

¶ Si quis

¶ Si quis pre egritudine naturalia a medicis habuit secta, similiter & qui a barbaris aut dominis stultis fuerint castrati, & morib⁹ digni fuerint visi, hos canon admittit ad clericatus officium promoueri. Si quis autem sanus non per disciplinam religionis & abstinentie, sed per abscissionem plasmati adeo corporis existimans posse a se carnales concupiscentias amputari castrauerit se, non eum admitti decernimus ad aliquod clericatus officium, quod si etiam iam fuerat promotus ad clerum, prohibitus a suo ministerio deponatur. **A'**

Capitulum vigesimum secundum.

¶ Qui baptizatus fuerit iam etate legitima non continuo licebit eum ad ecclesiasticum ordinem promoueri, quia oportet illum prius doceri quomodo possit docere, & multo tempore post baptismum parari, ut bene probatus veniat ad clerum secundum preceptum apostoli dicentis. Non neophytum, ne forte in superbiam elatus in iudicium incidat & laqueum diaboli. Si autem succedente tempore in aliquo graui peccato a duobus vel tribus fuerit deuietus, depositus de gradu suo cesset a clero. Si quis contra regulam facere presumpserit, quod sit contrarius magni concilii, proiciatur a clero. **B**

Capitulum vigesimum tertium.

¶ Penitens tantum si necessitas aut usus exegerit inter hostiarios prius deputetur vel inter lectores, ita ut euangelia vel apostolum legat. Si quis autem ante ordinatus est inter subdiaconos habeatur, ita ut manus non imponat, aut sacra contingat. Ex penitente enim dicimus, de eo qui post baptismum pro homicidio aut per diuersis criminibus, aut grauissimis peccatis publicam penitentiam sub cilicio gerens diuino fuerit reconciliatus altario. **C**

Capitulum vigesimum quartum.

¶ Si quis presbyter aut diaconus sine aliqua examinatione ordinati sunt, aut certe cum discernerentur confessi sunt criminosa peccata sua, aut post ordinationem ab aliis sunt detecti, abiciantur ex clero. Similiter vero & de vniuerso ordine clericorum seruetur, nam hoc sibi quod irreprehensibile est sancta catholica defendit ecclesia. **D**

Capitulum vigesimum quintum.

¶ Si quis presbyter ante ordinationem peccauerit, & post ordinationem peccatum confessus fuerit quod ante errauit non offerat, sed tantum pro religione nomen presbyteri portet, si autem ipse non confessus sed ab alio publice fuerit conuictus, non hoc ipsum habeat potestatem, ut nomen presbyteri portet. Similiter & de diaconibus obseruandum est, ut si ipse confessus fuerit ordinem subdiaconi accipiat. **E**

Capitulum vigesimum sextum.

¶ Si quis viduam aut ab alio dimissam duxerit, non admittatur ad clericatum, quod si obrepserit deiciatur. Similiter si homicidii, aut facti, aut precepti, aut consilii, aut defensionis post baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad clericatum venerit deiciatur, & in finem vite sue communionem recipiat. **F**

Capitulum vigesimum septimum.

¶ Si quis presbyter aut diaconus fuerit fornicatus aut mechatus proiciatur & agat penitentiam. **G**

Capitulum vigesimum octauum.

¶ Si laici vxor in adulterio fuerit deprehensa, hic talis ad ministerium ecclesiasticum nullomodo adducatur. Si autem post ordinationem alicuius clericus vxor adulterata fuerit, dimittat eam, si autem cum ipsa voluerit permanere a ministerio alienus sit. **H**

Capitulum vigesimum nonum.

¶ Si qua vidua episcopi vel presbyteri aut diaconi maritum acceperit, nullus clericus, nulla religiosa cum ea coniuiuium sumat, nunquam communicet, morienti tantum ei sacramenta subueniant. **I**

Capitulum trigessimum.

¶ De filia episcopi vel presbyteri siue diaconi, si deo deuota fuerit & maritum duxerit, si eam pater vel mater in affectum receperint, a communione habeantur alieni. Pater vera causas in concilio se nouerit prestaturum. Mulier vero non admittatur ad communionem nisi marito defuncto egerit penitentiam. Si autem viuente recesserit & penituerit, communionem in ultimo sine vite deficiens accipiat communionem. **K**

Capitulum trigessimum primum.

¶ Deuotam peccantem non recipiendam in ecclesia nisi peccare desierit, & desinens egerit aptam penitentiam decem annis, & recipiat communionem. Prius autem quam in ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius coniuiuium christiane mulieris accedat, quod si admissa fuerit, etiam hec que eam receperit habet. **L**

beatur absens, corruptorē etiam par pena constringat. Que autem maritum acceperit, non admittatur ad penitentiam nisi adhuc viuentē ipso marito caste vixerit, aut postq̃ ipse de hac vita decesserit.

Capitulum trigesimūsecundum.

- A** ¶ Nullus episcopus, neq; presbyter, neq; diaconus, neq; omnino aliquis ex clero licentiam habeat intromittendi ad se quali adoptiuā aliquā mulierem quasi in loco filie, aut sororis, aut matris, nisi forte sororem patris vel matris, & illas solas personas que ab omni mala suspitione aliene sunt. Similiter & religiosi feminis laicorum alienorum familiaritatem & consortium prohibemus eorū scilicet, qui nec dei timori subiecti, nec continentie retinent disciplinam.

Capitulum trigesimūtertium.

- B** ¶ Si quis in contemptu positus presbyter aut diaconus vel quicumq; ex clero recesserit ab ecclesia sua, nullomodo in alia suscipiatur ecclesia, sed omnino cōpellatur vt ad suam reuertatur ecclesiam, si autē permanferit in superbia, & reueri noluerit, excommunicetur & proiciatur. Si quis autem episcopus ausus fuerit eum ordinare in sua ecclesia nō consentiente episcopo suo a quo recessit, ordinatio illius vacua deputetur.

Capitulum trigesimūquartum.

- C** ¶ Si quis presbyter, aut diaconus, aut aliquis de clero propriam ecclesiam derelinquens ad alteram ecclesiam vadit, & multotēpore ibi demoratur, omnino nūq̃ ministret in clero, & si admonuerit eū episcopus suus, vt ad suam redeat parochiam & redire noluerit, vbi est ibi de officio suo deponatur, ita vt nunq̃ in suum reuertatur gradum propter dissolutionis peccatum. Si autem episcopus alter eū receperit qui de reatu eius est conscius, oportet ipsum episcopum sine increpatione in cōmuni cōcilio non admitti, vt ecclesiasticum canonem ultra non soluat.

Capitulum trigesimūquintum.

- D** ¶ Si quis episcopus presbyter aut diaconus excommunicatus in concilio iniuste se queritur condemnatus, ad maiorum episcoporum cōcilium reuertatur, vt eorum inquisitionem & iudiciū expectas (si quas se iustas causas habere putat) illis exponat, si autem cōtempserit, & importunans se palatio aures principum inquietare voluerit, hic ad nullam veniam poterit peruenire, neq; spem future reconciliationis habebit.

Capitulum trigesimumsextum.

- E** ¶ Si quis episcopus, siue alicuius episcopi presbyter, aut diaconus in alicuius heresis opinionē offerderit, & ob hanc causam fuerit excommunicatus, nullus episcopus eum in cōmunionem recipiat, nisi prius in cōmuni concilio porrecto fidei sue libello satisfaciatur omnibus. Hoc idē & de fidelibus laicis sit decretum, si in aliquam heresis opinionem fuerint nominati.

Capitulum trigesimumseptimum.

- F** ¶ Si quis episcopus in concilio excommunicatus fuerit siue presbyter aut diaconus a suo episcopo, & post excommunicationē presumpserit siue episcopus ille, aut presbyter, vel diaconus facere oblationem vel matutinū, aut vespertinū sacrificium quasi in officio suo agere sicut prius, non liceat ei nec in alio cōcilio spem recōciliationis habere, nec ultra reconciliari, sed etiā eos qui cōmunicauerint omnes ab ecclesia respui. Maxime eos qui sciebant eum esse deiectum, si autem permanferit turbans & concilians ecclesiam per forasticā potestatem, oportet eum sicut seditionarium ab omni plebe compelli.

Capitulum trigesimumoctauum.

- G** ¶ Presbyterum ad secundas nuptias cōiuiam fieri non oportet, quod si ad secundas nuptias venerit penitentiam postulet, quomodo presbyter ille potest esse qui propter cōiuium interest tali cōiugio?

Capitulum trigesimūnonum.

- H** ¶ Diaconus qui eligitur si cōtestatur fuerit pro accipiēdo matrimonio, & dixerit nō posse in castitate permanere, hic non ordinetur, qd si i ordinatiōe tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea matrimoniū desiderauerit, alienus sit a ministerio, & vacet a clero.

Capitulum quadagesimum.

- I** ¶ Non liceat diaconum ante presbyterum sedere nisi cum iussione presbyteri.

Capitulum quadagesimūprimum.

- K** ¶ Non liceat cuilibet ministeria tangere nisi subdiacono aut acolito in secretario vasa dominica.

Capitulum quadagesimūsecundum.

- L** ¶ Non liceat mulierē in secretariū ingredi.

Capitulum quadagesimūtertium.

- M** ¶ Lector si viduā alterius vxorē acceperit, i lectoris statu pmaneat, aut si forte necessitas sit, diaconus fiat nichil autē supra, similiter & si bigamus fuerit.

Capitulum quadagesimūquartum.

- N** ¶ Si subdiaconus secundā duxerit vxorē inter lectores vel hostiarios habeatur, ita vt apostolum nō legat.

Capitulum quadagesimūquintum.

¶ Non

- ¶ Non liceat in pulpito psallere aut legere nisi qui ab episcopo lectores sunt ordinati. A
 Capitulum quadragesimum sextum.
- ¶ Si quis obligatus est tributo serui, vel aliqua cōditione, vel patrocinio cuiuslibet, non est ordinā- B
 dus clericus nisi probate vite fuerit, & patroni consensus accesserit.
 Capitulum quadragesimum septimum.
- ¶ Si quis seruum alienum causa religionis doceat continere dominum suum, & recedere a serui- C
 tio eius, durissime in omnibus arguatur.
 Capitulum quadragesimum octauum.
- ¶ Non liceat in quadragesima natales martyrum celebrare, sed tantū sabbato, & dominica pro cō- D
 memoracione eorum oblatiōes offerre, sed nec natalicia, nec nuptias liceat in quadragesima celebrari.
 Capitulum quadragesimum nonum.
- ¶ Non liceat ante duas septimanas pasche, sed ante tres ad baptismū suscipere aliquē. Oportet autē E
 vt in ipsis diebus qui baptizādi sunt symbolum discant, & in quinta feria nouissime septimane epi-
 scopo vel presbytero reddant.
 Capitulum quinquagesimum.
- ¶ Non liceat quinta feria nouissime septimane ieiunium soluere, & omnem exhonore quadra- F
 gesimam, sed sincere abstinentes totam quadragesimam peragere.
 Capitulum quinquagesimum primum.
- ¶ Omni tempore episcopo liceat chrisma conficere, & per suas dioceles destinare, ita vt dirigendum G
 chrisma diaconus aut subdiaconus ante diem pasche de singulis ecclesiis ad episcopum destinetur.
 Capitulum quinquagesimum secundum.
- ¶ Presbyter presente episcopo non signet infantes, nisi forte ab episcopo fuerit illi preceptum. H
 Capitulum quinquagesimum tertium.
- ¶ Non liceat presbytero prius episcopo introire in baptisterium sed cum episcopo, nisi forte aut ab I
 sens fuerit, aut egrotus.
 Capitulum quinquagesimum quartum.
- ¶ Si qua mulier pregnans desiderauerit gratiā baptismi percipere, quando voluerit habeat pote- K
 statem. Nā nichil participat in hoc mater infanti qui nascitur, propterea quod vnicuique propria vo-
 luntas in confessione monstretur.
 Capitulum quinquagesimum quintum.
- ¶ Non oportet aliquid aliud in sanctuario offerri preter panē & vinū & aquā, que in typo christi L
 benedicuntur, quia dum in cruce penderet de corpore eius sanguis effluxit & aqua, hec tria vnum
 sunt in christo Iesu. Hec hostia & oblatio dei in odorem suauitatis.
 Capitulum quinquagesimum sextum.
- ¶ Forasticis presbyteris presente episcopo vel presbyteris ciuitatis offerre non liceat, neque ministra- M
 re in populo nisi forte illis absentibus.
 Capitulum quinquagesimum septimum.
- ¶ Si quis presbyter publica penitentia a sacerdote accepta, aut aliqua necessitate die dominica pro N
 quadam religione ieiunauerit, sicut manichei anathema sit.
 Capitulum quinquagesimum octauum.
- ¶ Similiter & quod ab apostolis traditū canon tenet antiquus, placuit vt per omnes dominicas, & O
 per omnes dies pasche vsq; ad quinquagesimū non prosternant se in oratione humilitatis, sed recto
 vultu ad dominum fungantur orationis officio, quia in his diebus gaudium resurrectionis domini
 celebramus.
 Capitulum quinquagesimum nonum.
- ¶ Si quis non pro abstinentia sed pro execratione esearum abstinet placuit sancto concilio, vt pre- P
 gustet, & sic si vult abstinere abstineat. Sin autem spernit, ita vt olera cocta cum carnibus non degu-
 stet, iste non obediens, nec suspensionem heresis a se remouens deponatur de ordine clericatus.
 Capitulum sexagesimum.
- ¶ Non liceat sacerdotibus vel clericis aliqua spectacula in nuptiis vel in cōuiuuiis spectare, sed opor- Q
 tet anteq; ingrediatur ipsa spectacula surgere & redire inde.
 Capitulum sexagesimum primum.
- ¶ Non liceat clericos incantatores esse & ligaturas facere quod est colligatio animarū, si quis hec fa- R
 cit, de ecclesia proiciatur.
 Capitulum sexagesimum secundum.
- ¶ Non liceat sacerdotes vel clericos, sed nec religiosos laicos conuiuia facere de confertis. S
 Capitulum sexagesimum tertium.
- ¶ Si qui oblitus timorem domini, & sanctam scripturam que dicit, pecuniam suam non dedit ad T

vsuram, post hanc agnitionē sancti concilii fenerauerit, & ceterā exegerit, aut ex quolibet negotio turpe lucrū quesierit, & per diuersas species vini vel frugis, vel cuiuslibet rei emendo vel vendendo aliqua incrementa susceperit, depositus de gradu suo alienus habeatur a clero.

Capitulum sexagesimūquartum.

A ¶ Si quis presbyter aut diaconus vel quilibet clericus ecclesie deputatus, si intra ciuitatem fuerit, aut in quolibet loco in quo ecclesia est, & ad cotidianum psallendi sacrificium matutinis vel vespertinis horis ad ecclesiam non conuenit, deponatur a clero, si tamen castigatus veniam ab episcopo per satisfactionem noluerit promereri.

Capitulum sexagesimūquintum.

B ¶ Non liceat quilibet clericum die dominico ab ecclesia absentem esse, sed missarū solēniis interesse & ieiunio.

Capitulum sexagesimūsextum.

C ¶ Non oportet clericos vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire cōuiuia, neq; alio quando clericos nisi ymno dicto edere panem, & post cibos gratias auctori deo referre.

Capitulum sexagesimūseptimum.

D ¶ Non oportet clericos comā nutrire & sic ministrare, sed attonso capite patētibus auribus, & secundum aaron talarē vestem induere, vt sint in habitu ornato.

Capitulum sexagesimūoctauum.

E ¶ Non oportet psalmos compositos & vulgares in ecclesia dicere, neq; libros qui sunt extra canonē legere nisi solos canonicos noui & veteris testamenti.

Capitulum sexagesimūnonum.

F ¶ Non oportet clericos ignaros presumptores super monumenta in campum mysteria portare, aut distribuere sacramenta, sed aut in ecclesia, aut in basilica vbi martyrum reliquie sunt posite, ibi pro defunctis oblationem offerri.

¶ Sequuntur canones ad laicos pertinentes.

Capitulum septuagesimū.

G ¶ Non liceat christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre, & sacrificare mortuis.

Capitulum septuagesimūprimum.

H ¶ Non liceat laicis vel clericis ab hereticis eulogias accipere, quia maledictiones magis sunt q̄ benedictiones, neq; liceat aut cum hereticis aut cum schismaticis orare.

Capitulum septuagesimūsecundum.

I ¶ Si quis paganorū consuetudinē sequēs diuinos, & sortilegos in domū suā introduxerit, quasi vt malum foras mittant, aut maleficia inueniant, vel lustrationes paganorum faciant, quinque annis penitentiam agant.

Capitulum septuagesimūtertium.

K ¶ Non liceat christianis tenere traditiones gentiliū, & obseruare & colere elemēta, aut lune, aut stellarum cursus, aut inanē signorum fallaciā pro demo faciēda, aut propter segetes vel arbores plantādas vel coniugia sociāda. Scriptū est enim. Omnia que facitis, aut in verbo, aut in opere omnia in nomine domini nostri Iesu christi facite gratias agentes deo.

Capitulum septuagesimūquartum.

L ¶ Non liceat agere diē kalēdarū & otis vacare gentilibus, neq; lauro aut viriditate arborum cingere domos. Omnis hec obseruatio paganissima est.

Capitulum septuagesimūquintum.

M ¶ Non liceat in herbarum collectionibus que medicinales sunt aliquas obseruationes, aut incantationes attendere nisi tantū cum symbolo diuino, & oratione dominica, vt tantū deus creator omnium & dominus honoretur.

Capitulum septuagesimūsextum.

N ¶ Non liceat mulieres christianas aliquā vanitatem in suis lanificiis obseruare, sed deum inuocent adiutorem, qui eis sapientiam texendi donauit.

Capitulum septuagesimūseptimum.

O ¶ Si cuius vxor adulterium fecerit, aut vir in alienam vxorem irruerit, septem annis penitentiam agat.

Capitulum septuagesimūoctauum.

P ¶ Si qua mulier fornicata fuerit & infanē qui exinde fuerit nat⁹ occiderit, & que studuerit abortū facere, & quod conceptum est necare, aut certe vt nō concipiat elaborare siue ex adulterio, siue ex legitimo coniugio, has tales mulieres in morte recipere cōmunionem priores canones decreuerūt, nos tamen pro misericordia siue tales mulieres, siue conscias scelerum ipsorum decem annis agere penitentiam iudicamus.

Capitulum septuagesimūnonum.

¶ Si quis

Si quis voluntarie homicidium fecerit, ad ianuam ecclesie catholice semper subiaceat, & communio nem in exitu vite sue recipiat, si autem non voluntarie, sed casu aliquo homicidium fecerit, prior cano septem annis agere penitentiam iussit, secundus canon quinq; mandauit. **A**

Capitulum octuagesimum

Si qua mulier duos fratres, aut si quis vir duas sorores habuerit a communione abstineant vsq; ad mortem, in morte autem ab eis communione accepta, si de infirmitate coualerint, agant plenam penitentiam tempore constituto. **B**

Capitulum octuagesimum primum.

Si quis multis nuptiis fuerit copulatus penitentiam agat, conuersio autem & fides penitentis compendit tempus. **C**

Capitulum octuagesimum secundum.

Si quis cuiuslibet animalis comixtione peccauerit, quindecim annis in humilitate subiaceat ad ecclesie ianuam, & post hos alii quinq; annis in orationis comunione receptus penitentiam agat, & sic gratiam suscipiat sacramenti, Interrogentur autem alii de eo quale vitam in penitentia egerit, & sic comunione misericordia consequatur, Si quis autem post viginti annos habens uxore huic peccato irruerit viginti quinq; annis humilitati subiaceat & quinq; annis orationibus tantum communicas postea recipiat sacramentum, Quod si hanc mensuram aliquis transgressus fuerit, sacramentum in exitu consequatur, oportet enim tales inter demoniosos orare. **D**

Capitulum octuagesimum tertium.

Si quis de corpore exiens nouissimum & necessarium comunione viaticum expetit, non ei denegetur, quod si in desperatione positus post perceptam comunione iterum sanus fuerit factus, tantum oratione particeps sit. Nam non accipiat sacramentum, donec constitutum pure impleat tempus, Qui ergo in exitu mortis sunt, & desiderant accipere sacramentum, cum consideratione & probatione episcopi accipere debent. **E**

Capitulum octuagesimum quartum.

Si quis intrat in ecclesiam dei, & sacras scripturas audit, & pro luxuria sua auertit se a comunione sacramenti, & in obseruandis mysteriis declinat constitutam regulam discipline, illum talem proiciendum de ecclesia catholica esse decernimus donec penitentiam agat, & ostendat fructum penitentie sue, ut possit communione percepta indulgentiam promereri. **F**

Capitulum octuagesimum quintum.

Non liceat communicare excommunicatis, neq; in domos eorum introeuntes orare cum eis, neq; liceat cum eis in alia ecclesia segregari, si autem aliquis episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut quilibet ecclesiasticus excommunicato communicauerit quasi perturbans omnem disciplinam ecclesiasticam excommunicetur. **G**

ExPLICIT liber excerptorum sancti Martini braccarensis episcopi ex synodis orientalium.

INCIPIT CONCILIUM BRACCARENSE TERTIUM HABITUM ANNO QVARTO VVAMBANI REGIS ERA. DCXIII.



CENTER SATIS PER DIVINUM SPIRITUM IN BRACCARENSE vrbe collecti, & de his que intra ecclesiam peruersa actione geruntur tractaturi conuenimus, ut adiuuante nos illo qui dicit, ubicumq; duo vel tres collecti fuerint in nomine meo, ibi ero in medio eorum pari animo pariq; deuotionis studio exurgentes male habitos extirpemus errores, Etenim dum nos in unum synodalis actio aggregasset, debitis in sedibus collocati primum de sancte fidei sacramento cepimus habere sermonem, scilicet ne aut vanitate disputantium aut nescientia simplicium erroris quippiam in hoc sacramento fidei teneretur, unde cum omnes nos in vera fidei ut speculum perlustraremus illesos, ideo quia nullum nostrum schismatici erroris fatigauerat turbo, sed vera nos & simplex in hoc sacramento apostolica ostendit idoneos predicatio, grates omnipotenti peregimus deo, quod hanc nostre fidei regulam ipsis verbis atq; sententiis commemoranter pretextimus, quibus & in conuentu niceni concilii declaratam esse scimus. **H**

Credimus in unum deum patrem omnipotentem factorem celi & terre, visibiliu omniu & inuisibilium conditorem, Et in unum dominum Iesum Christum filium dei unigenitum, ex patre na-